Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2767
Quelle:
Copyright:

ſto patrem dominum Card. Rothomagenſem pro nunc papam Clementem ſextum. In illud: *Neptalim ceruus emiſſus* &c. *Videtur mihi et ſenſus ac experiencia hoc docet* &c.

XXXII. *fol.* 138. *Sermo factus per Dominum Clementem VI. in die cene domini ſummo mane in publico, anno Domini M. CCC. XLIII. contra ludowicum de bauaria.* In illud *Apoc.* XI. *Atrium quod eſt foris, eice foras.* Initium: *Remigius ſuper Apoc. li. III. pertractans iſta uerba* &c. Conſtat ex hiſtoria, *Clementem* vix tiara potitum violenta *Johannis* XXII. conſilia contra *Ludovicum* reſumſiſſe, inſtigantibus maxime *Johanne Bohemiae*, *Philippo Galliae* et *Roberto Siciliae* Regibus, eique per Legatos ſupplici tam duras dictaſſe conditiones, ut non ſine Procerum *Germaniae* conſenſu rejici ab eo debuerint. Hoc igitur *Sermone* omnem accuſationum cramben recoquit, et ita concludit: *Iſtum ergo foras eicimus ſententias et proceſſus contra eum habitos propalando et publicando; ſed ut iuſticiam miſericorditer temperemus adhuc foras non eicimus ſententias aggrauando, ſed decernimus adhuc per tres menſes ipſum expectare, rogantes eum, cuius uices licet immeriti in terris gerimus, vt velit aufferre cor lapideum de carne ſua, ut uere penitens ad gremium ſancte matris eccleſie redeat et intus recipi mereatur, ut eius ſpiritus ſaluus fiat in die iudicii. Quam ſalutem nobis et ſibi concedat, qui eſt Benedictus in ſecula ſeculorum Amen.* Non meminit Sermonis hujus *Baluzius*, neque *Oudinus*, quem adeo ἀνεκδοτον puto.

XXXIII. *fol.* 142. *Collatio facta in proceſſibus factis contra Bauarum in cena domini XIII. die Aprilis Anno IIII.* Is eſt 1346. *Sermonis* hujus, ut verbo *Alberti Argentin.* in *Chronico* ad *h. a.* utar, *crudeliſſimi* Initium et alia quaedam excerpſit *Baluzius* in *Notis cit. col.* 862. Thema eſt: *Hereticum hominem poſt vnam et ſecundam correptionem deuita* &c. cui fidelis Orator ab ovo usque ad mala *Haereſin* et *Haereticum* inſonat. Sub finem *Pauli* loco I. *Cor.* 5. *Ego enim abſens corpore preſens autem ſpiritu* &c. pro anathematis formula utitur. Verum, qui legis *Ludovicum Bav.* condemnatum, lege etiam *J. Ge. Herwarti Ludovicum Bav.* defenſum, *Monach.* 1618. 4.

XXXIV. *fol.* 150. *Collacio facta per dominum Clementem papam* — — Reliqua tituli abſciſſa. Sed eſt Oratio, qua *Ludovico ab Hiſpania Cerdano* et *Claromontano* Comiti Inſulae *Fortunatae* cum corona et ſceptro conferuntur, de qua egimus *Cod.* praeced.

XXXV. *fol.* 156. abſciſſo titulo *Querelae* ſupplices Cujusdam, qui infelicitatem et inimicos ſuos accuſat, juvarique petit a Pontifice, ut videtur, *Clemente* VI. Interrogat enim: *quando petrus caput Eccleſie pater omnium et ianitor celi illos repulit quos uocauit, et eos deſeruit quos aſſumpſit? — quando eius vicarius pater*

orbis